

De frumento, & frumentaceis, esseq[ue] frumenti tria genera: sementis uero duo tempora. Quæ mature serere, quæ serò oporteat: de tertio serendi tempore.  
Quoto quæq[ue] die à satu erumpant. Cap. I



AT IS D E cæteris herbaceis diximus: nunc de frumento, uniuersisq[ue] frumentaceis agamus, modo quo superiora tradidimus: hoc enim reliquum in herbaceis generibus est. Frumenti prima, & maxima genera duo constant: sunt enim alia frumentacea, ut triticum, ordeum, tipha, semen, & reliqua quæ tritici, ordeiue specimen quodammodo gerant: alia chedropa appellata, ut faba, cicer, pisum; atq[ue] in totum, quæ legumina uocitare solemus: adde tertium genus, milium, panicum, sesamum: & ad summam, quæ in æstiuis sementibus communi careant appellatione. Horum omnium generatio simplex, & una est: quippe semine tantum omnia exeunt, nisi quid rarerent, parceq[ue] radice prosiliat. Sementis autem duo plurimum tempora notantur, sed priu[m]um, atq[ue] potissimum, quod circa uergiliarum occasum accipitur, quod & Hesiodus, & maxima ferè pars autorum secuta est: quamobrem tempus id per excellentiā satum appellant. Secundū, quod Vere incipit post brumam. Sed nō eisdem datur utruncq[ue]: alia enim mature desiderant, alia serò, quod hyemem nequeant tolerare: non tamen desunt, quæ tempus utruncq[ue] satis apte contingant, hyemem scilicet, atq[ue] uer. Mature seruntur triticum, ordeum, quod etiam maturius seritur: item semen, tipha, siligo, & si quid aliud tritico simile consistat: his etenim omnibus idem penē tempus serendi statuitur. Ex leguminibus uero faba (ut ita loquar) maxime mature seri exposcit: hæc enim suæ debilitatis gratia, radicationem hyemem anticipare desiderat. Lupinum quoq[ue] mature seritur: post aream enim serendū protinus censem. Sera illorum satio est, quæ in genere discrepant, ut tritici genus quod dam, & ordei quod trimestre appellant, quoniam per tantum temporis perfici posse: & in leguminum genere lens, aphaca, pisum. Tempori utriq[ue] dantur ex leguminibus eruum, cicer. Sunt & qui etiam fabam serò audeant serere, si minus primis statibus expedire potuerint. Simplici tamen ratione dicendum, alia sui roboris causa seri maturius poscere, ut quæ hyemem tolerare facile possunt: alia ob debilitatem idem requirere, ut clementia temporis incrementum præsumere queant. Igitur tempora duo illa in primis notantur. Tertium uero additur, quod æstiuis attributum retulimus, quo milium seritur, & panicū, & sesamum, item trionum, geminalisq[ue]. Hæc serendi tempora singulis statuuntur. Erumpit autem aliud celerius, aliud tardius: ordeum atq[ue] triticum die plurimum septimo, sed magis ordeum festinat. Legumina quarto die, aut quinto proueniunt, fabis exceptis: faba enim intra dies plures etiam, quām frumentacea, exit: quibusdam enim in locis uel in die quinto-decimo, alias etiam uigesimo: hæc enim difficilime omnium prouenit, & si cum sa- ta fuerit, imber plus aequo successerit, uel prouentu omnino difficilis reddetur. Sed an ea, quæ tempore uerno serantur, celerius exeant, cogitandū. Prouentus autem exortusq[ue] dictos, quoad id uniuersim dixisse liceat, ita factitari putandū. Nonnunq[ue] enim, & quibusdam in locis uel intra pauciores dies confici possint, ut in Aegypto tertio, quarto ue die prouenire affirmant. At apud alios uel pluribus, quām retulimus, opus sit: nec temere ita eueniat, cum & tellus, & cœlum discrepat: cumq[ue] ma- turius, serius ue, aratum est, quæque superuenerint dissimilia constant. Tellus enim rara

rara, & leuis, & benigno coelo subiecta, celeriter, ac facile reddit: lenta uero, & ponderosa, tarde: & quæ squalleat, tardius. Item si hyems, aut squallores, serenitatesq; nimia superuenerint, uel ecōtra imbræ immodi ci inceſſerint, res longe tardius age tur: his enim discriminem summum exultat. Parimodo, & si solum sit cultum simoq; refertum, uel si nihil eiusmodi actum sit: Nam & ad mature, sero ue serendū quod uis, loca differunt. Qua de causa nonnulli Græciae incolæ mature omnia ferere solent, uidelicet propter sui tractus algorem, ut Phocenses: ne scilicet hyemes herbas paruulas occupent.

Quemadmodū nascantur in frugib; folia, germinaq; & radices. Quo modo ordeum, & triticum, & pisum, & faba, & cicer exeat: quoq; radices leguminæ omnia habent. De frumentagine, & ordeagine, atq; frumenti ortu, leguminumq;.

Cap. II

**L**Erminant alia ex eodem, radicem, foliumq; fundentia: alia utruncq; ex utroq; extremo. Triticū, ordeum, tipha, ad summā omnia, que frumentacea constent specie, ex utroq; effundunt: quippe que parte ima, crassafq; radicem: tenui superna, herbam propellant: sit tamen unum, atq; continuum ex ambobus, radice & caule. At faba, cæteraq; leguminæ non eodem modo mittere consueuerunt, sed eadem ex parte radicem fundunt, & caulem, qua etiam nexus siliquarū consistit, inq; ea ueluti principiū quoddam germinandi haudquaq; obscurum. Quod in quibusdam uel ad mentulæ formam effigiatum sanè inspicere possis, ceu in faba, & cicere, sed maxime in lupino: his enim radix deorsum uersus, folium uero & caulis sursum tendunt. Hoc igitur differunt: sed illo plane conueniunt, quod omnia per annexum siliquæ, atq; spicæ radicem capiant: nec ut in quibusdam arborib; e diuerso fieri solet, ceu in amygdala, nuce, glande, atq; similibus. Omnibus autem radix paulò ante caulem exit: & quidem in frumentaceis euenit, ut radix protinus extra pellatur: germen autem in ipso semine augeri primū incipiat, auctoq; subinde semina disiungantur. Nam & hæc omnia bipartita quodammodo constant, quod in leguminibus manifestum est: Illa namq; bino claudi corpore, atq; ita componi penitus liquet: uerum in eo genere, quia per seipsum sit, illud quidem minus contingit. Radix tamen paulò prius isti quoq; propellitur. Exit ordeum, & triticum uno folio: pisum, & faba, & cicer multis: leguminæ omnia singulas habent radices, easdemq; lignosas, & ramulis prætenuibus modo capillamentorum fibratas. Omnium (ut ita dixerim) altissimam cicer agit, quod nonunq; uel ex latere mittit. At uero triticum, ordeum, reliquaq; frumentacea per multis, prætenuibusq; innituntur radicibus: qua de causa numero ramo, numerosoq; caule omnia eiusmodi se attollunt. Quamobrem uel contrarietas quædam inter hæc genera fermè intelligi potest: etenim leguminæ radice singulari subnixa, multos superne ramos ex caulibus gerunt, fabis tantum exceptis: frumenta uero e diuerso multis subnixa radicibus, multa quidem effundunt germina, sed quæ ramis brachiari omnino nequeant, præterq; genus, quod frumentinem, quodq; ordeagine uocant. Hyeme in herba, frumentacea manent. Omnia tempore mitescente, caulem de medio mittunt: at quæ geniculantur, euenit, ut protinus in tertio genu, quædam in quarto gerere spicam incipient, sed nondum aliqua mole conspicuum. Et quidem per totum culmum spica digeritur, ut fermè cum culmari incepint, mox eam conspicit: sed latet, anteq; adulta in folliculo fuerit: tum enim fœtus suæ crassitudine molis euide extat. Mox folliculo absoluta, quarto, aut quinto die florere tam tritici, quam ordei incipit, totidemq; diebus ferè floret: qui uero plus temporis referunt, septimo die deflorescere notat. Sed leguminum floris diu-

tina productio est, atque inter cætera erui, cicerisq; diuturnissima. Inter omnia uero faba quidem summo discrimine redditur: quadraginta nanque diebus florere prodata est; sed alijs, subinde alio & alio emergente, florere assignant: particulatum enim florere aiunt, alijs simpliciter referunt, flos enim spicatis uniuersim leguminibus omnibus particulatum emergit. His enim primum pars infra floret quæ cum desierit, proxima incipit, atq; ita ad supernā itur successu assiduo: qua de causa multa ex eruis euulsa parte ima defluxisse cernuntur, superna uero penitus esse viridia.

*Quot diebus frumenta, quot item legumina maturentur. Terram à terra, & cœlum à cœlo ad fructū differre perfectionem. Quibus folijs frumenta, quibus legumina constent. De siliqua, legumine, florumq; differentia. Quæ spicam, quæ iubam, quæ siliquam gerant.*

Cap. III

10

Riticum, atque ordeum postea quam defloruerere, crassantur, perficiunturq; cum plurimum intra dies quadraginta: pari modo & tipha, & reliqua huiuscmodi. Item fabam diebus totidem perfici uolunt: ita tamen, ut intra tantundem spacium temporis haec florere, atque perfici nata sit, cum cætera intra dies pauciores consummentur. Sed cicer paucissimis perfici potest, siquidē post sementem diebus quadraginta absolu posse, ut quidam affirmant: Nam in totum celerrime genus id leguminis consummari nulli dubium est. Milium, & sesamum, & panicum, & ad summam omnia estiua, 20 dies quadraginta sortiri inter omnes ferè constat: non tamen desunt, qui uel pauciores prodiderint. Differt & terra à terra, & cœlum à cœlo ad fructuum perfectio nem: quædam etenim loca proferre intra pauciores dies uidentur: ut cum alia, tum & maiorem in modum conspicue Aegyptus: illic enim ordeum sexto à satu mense, triticum septimo metitur, quod apud plurimos octauo. Cæterum nec illo tractu sic multitudine tota fieri solet, sed quo ad religionis primitijs tantum statutum est. Portatur enim ad sacrorum quorundam usum farina noua sexto mense, & haec à locis superioribus super Memphis. Quin & Sicilia apud Milas uocatas agri Mesani celerem quandam fieri consummationem serorum affirmant: esse nanque semetem eorum menses sex: sed tamen cum primis una metere posse, qui mense nouisimo seuerit. Regionem istam adeò fertilem produnt, ut triginta choës reddere ualeat, pascua mirifice habeat ubique. Sed mirabilius, quod in Melio fieri aiunt: sata enim intra triginta, aut quadraginta dies metere incipiunt: quamobrem eius loci incolas fari consueuisse: Eatenus serendum, quatenus manipulum uideris. Sed hec nec coctu facilia, nec multa apud eos fieri traditur. Locum istum in exhibendis alimentis mancum affirmant: frumenta enim, oleasq; ingenue ferre, uites autem modice. Sed omnibus mirabilius, quod in Chalcia Rhodiorū insula fieri solet: illic enim locum quendam præcoquem, fertilemq; adeò narrant, ut ordeum satum in eo, cū cæteris sereretur in locis, metere iterumq; serere, atque cum reliquis una frugibus rursus metere possint. Maximam igitur hanc differentiam, si uera sit, arbitrari debemus: Quod enim translatum in alium tractum distulerit, ut ē Cilicia in Cappadociam, atque in totum trans Taurum aiunt, minus incongruum sit. Locorum enim discriminem summum longi causa interualli exultet necesse est: conterminum uero, eundemq; loco, tantum differre à reliquis, mirabile admodum est. Hic ergo summa cum differentia notatur: cæteri autem tractus haud multum inter se tempore distant, sata enim in Attica prius, quam in Hellesponto ueniunt ad maturitatē diebus triginta, aut aliquo plus. Quod si satus quoque præcesserit, loci mutatio sit: sin autem simul satum sit, plus temporis certe accedat necesse est. Nec & loca differentiam haudquaquam mediocrem faciunt, nonnulla proxima sint: segetes enim Salaminis

Iamnis longe prius, quam cæteræ Atticæ regionis perficiuntur: Atque in totum loca maritima, tam ad hæc ipsa, quam ad reliquos fructus festinatiora intelliguntur: ut circa Actam uocatam Peloponnesi, & in Phaleco agri Megarensis, nisi isthic uel humi tenuitatem, atque laxitatem offerre quicquam putaueris. Generatio, & perfectio ita se habent. Differunt autem & tota discreta genera inter se, frumenta, legumina, æstiuacæ, & generatim, quæ eiusdem generis consortia sunt. Frumenta etenim folio harundinaceo constant. Leguminum alia rotundo, ut faba, & maxima ferè pars: alia oblongiori, ut pisum, cicercula, cicera, & reliqua huiuscmodi: alia item neruata, alia sine neruo, & uena. Sesamum, & trionum discerni ab his sua proprietate cernuntur. Item caulis alijs geniculatus, atque inanis, ut fabæ: quamobrem culmus uocatus est cæteris leguminibus lignosior. Sed ciceri lignosissimus, milio ex æstiuis, & panico harundinaceus: sesamæ, & triono potius ferulaceus: & alijs caulis erectus, ut tritico, ordeo: & in totum frumentaceis, atque æstiuis, alijs tendens in latus potius, ut ciceri, eruo, lenti: alijs humili procidens, ut erualæ, piso, cicerculae. Si liqua nomine appellata speciali, si ligna longa affixeris, ascendet, & frugifera fiet: alioqui uitiosa, atque eruginosa reddetur. Faba inter legumina sola potissimum erecto caule constat. Quin & floribus differentia tum natura, tum positu data est: de quibus ferè in ijs, quæ in uniuersum digessimus, satis dictum existimamus: scilicet quod alijs lanuginei, ut omnium ferè gerentium spicam: alijs folijs constant, ut leguminum, & plurimis quidem minutis: maior etenim pars florem sessilem ædit. Flos lanugineus & milio, & panico: sed sesamæ, atque triono folijs constans, & alia circa ipsum semen flosculum habent, ut quæque frumentacea, & miliacea circa spicam. Legumina uero ex eo quodammodo flore, aut ex eodem quidem initio proueniunt: & florem alia uniuersim, alia particulatim producunt: & reliqua hisce proxima, satis iam exposuisse putamus. Ad hæc quæ fructuum ratio exigit, addimus: quod alia spicam gerunt, ut frumentacea: alia siliquam, ut legumina: alia iubam, ut miliacea: effusam enim illam harundinaceam comam, iubam appello. Ad summam, alijs semen uasculis includitur, alijs membranis continetur, alijs nudum insidet: alijs item fructus in extremo, alijs in latere: & reliqua, quæ hanc ipsam contemplationem contingunt, diximus. In totum uero genus leguminum fructu copiosius, fœcundiusq; profectò sentitur. Sed his feraciora profectò æstiuæ sunt, ut milium, sesama. Lens maxime inter legumina fertilis est: & summatim quæ semen ferunt pusillum, copiosius fermè fructificant, ut etiam inter olera cuminum: quanquam hæc omnia copiose ferant. Validiora contra hyemem, atque in totum cœli mutationes frumentacea constant: legumina uero cibi ratione putentur ualentiora, nisi forte id quidem nobis ita respondet, cum cæteris animantibus è diuerso occurrat.

De frumentorum inter se differentia, & generibus ordei, ac tritici, & eorum differentijs: quantumq; nascatur in Asia frumentum. Cap. IIII

**R**go genera tota tales inter se differētias sortiunt. Quæ uero generis eiusdem consortia sint, his pro partiū sanè inæqualitate differentia datur: ut inter frumentacea triticū angustiori folio, quam ordeū conditum, & caulem leuiores, ruptuq; difficiliorem id habet. Ad hæc triticū tunicis integrum multis ordeū nudum consistit: id enim omnī maxime caret tegumento. Tipha quoque, & siligo, & omnia huiuscmodi multiplici folliculo includuntur. Ac omnium (ut ita loquar) maxime auenam, natura operuit. Quin etiam culmus altior tritico, quam ordeo est, & spica plus discreta à folijs emicat. Palea quoque suauior, quæ ex tritico, quam quæ ex ordeo: utpote quæ plus succinanteat, & mollior sit. Ad hæc ordeum à tritico differt, quod ordeum in uersus

spicatur, triticum nullo uersu conditū est, sed æquale undiq; constat. Genus totum ad genus tales ingerit differentias. Rursus eorū utrumq; in plura genera ipsis etiam fructibus, & spicis, & reliquis formis, atq; etiam uiribus, affectionibusq; discreta, diuidi sane potest. Est enim in ordei genere aliud binis uersibus, aliud ternis quatenusq; cumq; plurimum, senis; est enim uel huiusmodi quoddam genus. Quod uero pluribus construitur uersibus, hoc semper se ē spissius, posituq; arctius constat. Magnam & Indicum differentiam facit, quandoquidem ramis natum sit brachiarī, ut proposui. Et spicæ uero alijs grandiores, rarioresq; constant: alijs minores, frequentioresq;: & alijs distantiores à folijs, alijs proximiores, ut achilleis cognomine. Et ordeorum ipsorum aliud rotundius, minusq;: aliud oblongius, maiusq;, atq; in 10 spica rarius. Item aliud candidum, aliud accedens ad purpuram, quod & farinam reddere copiosius creditur: & contra hyemem, & flatus, & in totū contra cœli mutationes candido ualidius esse uidetur. Tritici quoque genera plura notantur, cognomina ex locis sortita, ut africum, ponticum, thracium, assyrium, ægyptium, sicutum: quæ & colore, & magnitudine, & specie, & proprietate inter se differunt. Quodam uel aliunde cognomina sortiuntur pro suis uiribus, tum alijs, tum uel maxime quæ ad cibum pertineant, ut cachrydias, stengis, alexandrinus: quorū omnium differentias in supradictis colligere licet. Nec uero ab re fuerit, si illa quoq; pro differentiis capies: & aliud præcox, aliud serum: & aliud auctu amplū multumq; reddens, aliud ieiunum quoddam parumq; serens: & aliud spicam grandiorem effundens, 20 aliud paruam: & aliud diu in folliculo manens, aliud aptum breui absolui, ut africū: & aliud culmo tenui constans, aliud crasso: quod etiam ipsum alico datū est. Crasso tamen, & cachrydias dictum consistit. Item aliud tunicis paucis, aliud multis uestitur, ut thracium: & aliud unicalatum, aliud multicalatum, & magis, minusq;. Adde etiam si quid aliud his, aut prædictis ratione uirium proximum sit: eiusmodi nanc; differentiæ naturaliores profectò appareant, quibus & trimestriū annume rari genus par est, & bimestriū, & si quid intra pauciores dies ualeat consummari. Et in Eubœa genus quoddam intra quadraginta dies crassari, perficiq; posse affirmant, idemq; firmum esse, ac ponderosum, nec modo trimestris leue: quamobrem famulis id præberi inquiunt, etenim nec multum in hoc surfuris esse uolunt. 30 Igitur genus id celerrimum quidem ad consummationem, sed inuentu rarissimum est. Et bimestria uero quædā habentur, quæ ex Sicilia, & in Achaiam aduecta sunt: sed hæc paucum reddunt, parumq; fœcunda habentur: quanq; cibo facilis, & iucunda sunt. Nascuntur & alia quædam genera in Eubœa, & præcipue apud Cariatum. Trimestria uero permulta, & ubiq; habentur: leuia haec & parum fœcunda, & unicalama sunt, atq; in totum infirma. Leuissimū igitur triticum, quoad simplificatione agere licet, ponticum est: ponderosius ex ijs, quæ in Græciā aduehi solent, sicolū datur. Sed eo ponderosius, quod Bœotia fert. Indicum afferunt, quod athletæ, qui Bœotiæ ternos semifextarios uix possint consumere, cum Athenis fuerint, facile quina consumunt: leue satis, & quod in laconico agro conficitur. Horum 40 igitur causa in terris, cœloq; intelligi debet. Nam & Asiæ ultra Bacra quodam in loco adeò grande frumentum fieri tradunt, ut nucleis oliuæ sua æquiparent magnitudine grana singula. In Pissotis autem dictis adeò firmum nasci affirmant, ut si quis plus comederit, disrumpatur necesse sit: & Macedonū ita plerosq; interisse aiunt.

Absurdum sane, & leuitati trimestriū absolum, quod in pontico euénit: Vernum enim durum admodum est: hybernū autem molle est; leuitate enim molle plurimum differt,

Duo

Duo uniuersi frumenti esse arandi tempora: deq; ciceris differentijs, siliqua<sup>s</sup>  
rumq; in figura.

Cap. V

**T**quidem arandi tempora uniuersi frumenti duo uidentur statuere: alterum hybernū, alterum uernum, quo etiam legumina serunt. Ad hæc in genere frumentorum aliud purum lolij nascitur, ut ponticū, atq; ægyptium: purum & siculum satis, & præcipue agrigentinum si- ne lolio exit. Siculo proprium datur, quod melampyrum uocant: res innocens, nec sicut lolij graue, & caput tentans. Sed hæc quidē (ut dictū est) loco- rum naturæ adscribi decet, idq; agere quoad singulis generibus attinere uideat. In 10 leguminū autē genere, pari modo differētias eiusmodi capere nō est; aut quod non idem scrutandi studiū adhibet, aut etiam quod illa uniformia cōsistunt: etenim præ- ter cicer, & lentem, & aliquatenus fabam, & eruū, quoad colorū, saporūq; ratio differentiā faciat, cætera nullis generibus discernere solent. Ergo cicer, & magnitu- dine, & sapore, & odore, & forma, plerasq; differētias ostendit, ut arietinum, & co- lumbinū. Candida inter omnia dulcedine præstant: etenim eruū, & lens, & cicer, & faba, & sesama: Nam & sesamæ genus quoddā candidum datur. Sed differētias hinc potius accipere licet, uidelicet ex his omnibus, quæ siliquis inclusa proueniunt. Eorū enim alia nō intersepta, sed quasi inuicem cōtingentia constant, ut eruū, pi- sum, & pars penē maxima: alia magnopere circūsepta, ut lupinū, atq; etiam magis, 20 & peculiarē in modū sesama: item alia in siliquis longis, alia in rotundis, ut cicer. Et quidē seminū multitudo, pro magnitudinis ratione sequit: pauciora em̄ minor sili- qua continet, ut ciceris, & lentis. Quæ quidē differētiae similes fortasse, ac illæ haben- tur, quas generi frumentaceorū, tum spicarū, tum ipsorum fructuū ratione tribui- mus: nam & quæ siliquæ appellant, seminū ferè rationem sequunt: aliæ nanc; leui- ter latæ, ut lentis, & aphacæ: aliæ cylindratae potius, ut erui, & pisi: figurā enim hu- iuscmodi ista sortiunt. Sed huiusmodi differētias multas per singula comperire po- tueris, quarū aliæ cōmunes omnibus, aliæ generatim propriæ habent. Quod autē omnia siliquis adhærent, & ueluti quoddā principiū inde obtinent, alia emīnens, ut faba, & cicer: alia concavū, ut lupinū, & alia quædā: alia nō æque expressum, sed mi- 30 nus, ac ueluti indiciū principij tantū, constat tum ex ipso aspectu: cernitur em̄ prin- cipium quo & sata germinant, atq; radicantur (ut inter initia diximus) & annexa siliquis nutriti, dum consummentur, aptissime possunt tum ex ijs, quæ nunc, & ante satis differuisse putamus. Sed de differentijs hactenus.

De leguminū, & frumentorū satu: tum de stercore. Quæ cuiq; agro conueniant semina. Quæ an- do imbre profint, quādo noceant frugibus. Quod solum quid præstare posset. Cap. VI

**E**rere autē quæq; potissimum tempestiuis semētibus præstat: cæterū & sic- co solo quidā cōmittunt, ac præcipue triticū, ac ordeū, utpote quæ maxi- me ualeat perdurare, ubi nō auibus, aut alijs bestijs tellus obnoxia sit. Haud em̄ commodū semimadefactū solū putat: quippe cū semina in eo facile lateſcat, atq; intereant: simul accidat, ut frequēs herba nascat. Imbrem post sationē superuenire omnibus prodest, exceptis quæ offici potius apta- sint, ut faba inter æstiua, sesama, & cumino, & triono. Densum autē, rarum ue spar- gere semē terrarū etiā ratione cōuenit: plus enim crassa, lataq; tolerare potest, q; are nosa, & tenuis. Quanq; dici soleat, aliās plus, aliās minus seminis eandē recipere se- getem, infaustoq; augurio capiant cū plus receperit: terrā em̄ esurire, esitareq; pro- tinus semen existimāt. Sed hæc ratio stulte fortasse afferit. Semina uero si cōtemple- ris, & præcipue loca ipsa scruteris una cum solo, positionē quoq; animaduertendo, quæ ad flatus, solesq; sit, accōmodatius sanē differentias colliges. Stercoratio quoq;

pro natura terrarum fieri debet. Nouale hybernum uerno præfertur. Nonnus-  
quam alte inarare non expedit, ut in Syria: qua de causa pusilli aratis Syri utūtū.  
Apud alios cultus nimius obest, ut in Sicilia: unde fit, ut multi ex peregrinis facile  
aberrare possint. Hæc quo ad terrarum naturam satis sit. Discernere autem & semi-  
na solent, quid scilicet cuiq; competit agro. Hybernis etenim locis triticum potius  
datur, quam ordeum, atq; in totum frumentum potius, quam legumen. Ad ple-  
num inculta, & longo tempore post proscissa, tritico deputantur: id enim melius,  
quam ordeum illa ferunt. Tolerat & frequentiam imbrium triticum magis, quam  
ordeum, & fertilius segete minus stercorata perficitur. Pari modo & tritici ratio,  
quod cui conueniat, habetur: exempli gratia, quod frugali, & pingui: quod ieiuno, 10  
& gracili, & de reliquis pari ratione animaduertere solent. Aqua, cum sata conce-  
perint, atq; adulta sint, omnibus prodest. Tritico, ordeo, reliquisq; frumentaceis flo-  
rentibus obest: facit enim, ut cuncta intereant. Leguminibus nihil officit, cicere ex-  
cepto: id enim abluta salsilagine, radice tabescens, interit, & ab erucis erosum proti-  
nus perit. Cicer nigrum, atq; etiam ruffum, firmius est, quam album. Locis dilutio-  
ribus serò serendum id censem. Faba florescens præcipue madefieri cupit: ob id se-  
rò eam serere uolunt (ut dictum est) quoniam diu floreat: sed postq; defloruerit,  
parum omnino aquæ desiderari affirmant: consummatio enim iam in uicino est.  
Frumentaceis in plenum crassatis aqua noxia esse putatur, & ordeo magis, quam  
tritico. In Aegypto uero, & apud Babylonem, & Bactra, ubi terra nullis, aut raris 20  
imbribus madet, roribus omnia coalescunt. Adde Cyrenam, & Hesperidem: idem  
enim uel in ijs ipsis fieri solet. Omnium (ut simplicius loquar) opportunissima quæ  
uerna: quamobrem Sicilia frumenti perfertilis est: large nanc, & molliter Vere fru-  
ctificatur, è diuerso autem hyeme soli tenue multa paulatim recipere possit. Cras-  
sum uel seminum copiam, & aquarum inopiam tolerare facile potest: locis autem  
sufficientibus omnes afflatus, auræq; prodesse putantur. Sed alij apud alios eiusmodi  
remedia præstant, quod uel antea diximus. Sed omni quasi ex parte squallor poti-  
us, quam crebri imbræ, frumento expedit: imbræ enim cum aliâs contrarij sunt,  
tum semina ipsa sæpe corruptum. Quod si minus herbæ quidem luxuriam mo-  
uent, ut sata strangulentur, atq; omne alimentum amittant, nullum ex seminibus 30  
corruptum, mutari in aliud aptum est, præterq; triticum, atq; ordeum, quæ mutari  
in lolium asserunt, magisq; triticum. Idq; imbribus frequentantibus fieri, & præci-  
pue locis humidis, & imbre longe dilutis.

De lolio, auena, & ui ciceris. Quod leguminibus solum conueniat. Sesamam uiridem nullum ani-  
mal mandere, nec etiam lupinum. Item remedium ne luxurient fruges. Quid Theffali, quid  
Babylonij in tondendis segetibus faciant. Cap. VII

 Oium autem uernum nequaq; esse, quemadmodum reliqua herba, quod  
quidam affirmare conant, rationibus illis constat: confessim enim hy-  
eme ineunte id exortum patescit, multisq; differt: habet nanc angu-  
stum folium, & pilosum, & pingue, eiusq; peculiare pinguitudo no-  
tatur: pilositas enim auenæ etiam datur. Hoc igitur proprium eorum  
animaduersum est, atq; etiam lini: nam uel ex hoc ipso lolium fieri uolunt. Cicer aut  
à cæteris leguminibus propria illa distinguunt, quod de floris prouentu retulimus,  
& quod fructu celerrime perficit, quoniā firmissimum, & lignosissimum constat: atq; in  
totu noualibus ineptum præ sua edacitate est. Herbā enecat omnem, & maxime, ac  
celerrime tribulum. Ad summā, nec solu quodlibet ferre id legumen potest, sed ni-  
gro quodam, crassoq; opus est. Fabam ex cæteris nouale optimum præstat, q;uis  
frequēs seratur, fructumq; ferat copiose. Aquas quoq; fluentes his magis prodesse,  
quam

quam coelestes affirmant. Panicum, & milium minus aquarum indigent: nam cum plus habent, folia dimittunt: sed uralius milium, dulcior panicū, quamq; infirmius est. Sesamam uiridem nullū animal mandit, neq; lupinū. An uero necq; trionum, ne que geminalem, quærendū: nam ea quoq; amara sunt. Trionū sesamæ simi e constat, & pinguisculū est. Geminalis cuminaceum quoddam est, atq; nigrum: seritur cum sesama. Sed de his scrutari arctius sane conuenit. Terris autē frugalibus ne luxurient, folijs depascere, atq; tondere agricolæ solent: quod uel in Thessalia factitur quotannis. Euenit autē ut depasta quidē etiam quoties libeat, fructū nihilo mutant: retorsum uero etiam semel triticū degeneret, & longum sine ulla crassitudine surgat, quod camatiā uocant. Nec satum id ad naturā pristinam redire posse autū mant: sed hoc perq; paucis euenire Thessali aiunt. At apud Babylonem semper, & quasi ordinate bis tondent, tertio pecus admittunt. Sic enim caulem mittit, alioqui folijs tantū lasciuit. Et negligentius quidē colentibus, quinquagesimo cum fœnore messes reddunt: diligentius uero cum centesimo quinquagesimo. Cultus autē probus, cum quādiutissime aqua intermāserit, quō scilicet multū materiæ producatur. Cum enim ea terra crassa, spissaq; sit, raram atq; solutā reddere opus est. Sed mariam, herbamq; quā Aegyptus gignere nata est, illa minime fundit. Igitur hæc uirtuti tractus attribues. Multis autē locis uel ex radibus triticū, atq; ordeū anno postero exit. Quin & eodē primo anno, ex ijs, quæ gratia uænundandi secant, altero culmo adnascente prossilit. Simili modo & si cōcreuerit hyeme, pluuijs enim securis seges restibilis redditur. Verū talium spica imperfecta, pusillaq; extat. Exeūt anno sequenti etiam, seminibus depresso, conculcatisq;, ut nihil quasi appareat: uidelicet cum transeunte exercitu, semina concussa in terram corruerint. Necnō & eorum, quos agnos uocitant. At in leguminum genere, aut nullis uis faciendi quicq; eiusmodi datur, aut certe non æque. Et germinationes quidem tot modis fieri solent.

*Quid ad incrementū frugum plurimū iuuet: inde proverbum, Annū fructificare, non tellurem: frumentis, & reliquis herbis præterquam filici utilem esse stercorationē. Quid enecet medium. Semina item peregrina in uernacula transire, atq; tum cultura, tum natura terræ meliora, deteriora uie fieri: quod genus aptum sit transire in aliud, atq; nasci inter alia gaudeat.*

## Cap. VIII

**A**D incrementū autem, alimentumq; plurimum quidem cœli temp̄ies, atq; in totū anni conditio iuuat. Imbribus enim, serenitatibus, hymibusq; opportune securis, omnia feracia, permultisq; fœcunda redundunt: etiam si sata sint salsis, ac tenuibus solis. Quamobrē non perperam proverbio dicitur, Annus fructificat, nō tellus. Verū & terræ ratio multū refert, non solum quod crassa, uel tenuis, & roscida, uel squallida constet, sed etiam cœli ambientis, & flatuum causa: quædā enim tenues, uitiosæq; sint, probe tamen fructificant: quoniā cōmode ad maritimos iaceant flatus. Sed alijs alijs cōmodi occurunt (ut sæpe iam dictum est) quippe cum alijs fauonius, alijs aquilo, alijs austro proficit. Cultura quoq; haudquaq; parum conferre percipitur, præcipue sementis. Exculta etenim terra facile profert. Quin & simus magnopere adiuuat: calefacit enim & concoquit. Quæ nanq; stercorentur, festinantius, quam stercoris indiga, uel uiginti dies erumpunt. Sed nō omnibus stercoratio prodest. Vtilis nō solum frumentis, uerum etiam reliquis herbis, præterq; filici est: hanc enim simo superinieicto interire affirmant: interit & pecore incumbente. Quin & medica quæ uocatur, stercoris, & urinæ causa perit, ut quidā dixere. Quodq; autē semen naturæ temporis certe cōuenit, atq; in totū generi, genus certū respondet, etiam inter ipsa unigena, quæ discernere autores conant. Semina peregrina intra annos tres, cum

plurimū transeunt ad uernacula: expeditq; ex apricis ad paulò minus aprica, & ex frigidis pari ratione transferre. Translata ex locis hybernis, eruptionē in præcoquibus prorogant. Quapropter squallore intereunt, nisi pluua serotina seruauit. Ob id cauendū censem, peregrina uernaculis permisceri, nisi ex solo simili migrarint. Nam ut loca in serendo, oriendoq; in uicem discrepāt, ita cultura egeant diuersa ne cessē est. Ad hēc differētias telluris, ac uires seminū, atq; etiam singulorum tempora obseruandū. Cū uero prospere tempora anni successere, semina uel grauiora, sua= uioriaq; reddunt. Athenis itaq; ordeū, quod farinæ partem maiore conficit (is enim ager ordeū eximie fert) nō cum plurimū fuerit, sed cum quandā temperiem obti= nuerit, commendandū euadit. In Phocide uero circa Elatiam non solum ordeū, sed etiā triticum optime reddit. Et apud alios alia, ad quæ soli cuiuscq; natura ualeat. Ergo semina meliora, deterioraue tum cultura, tum terræ natura fieri possunt. Syl= ue st̄escunt enim, mansuescuntq; modo arborū, atq; in totū permulta tellure proti= nus uti arbores deterius ueniunt. Genus aut, quod totū transire in aliud aptum sit, nullū præterq; tipham, & semen cōperies, sicuti inter primas disputationes propo= sui. Necnō & loliū ex tritico, & ordeo corruptis enascitur. Vel si id minus, nasci qui= dem inter triticū solitum esse, nulli dubio est: ut etiam Ponticū illud triticū atrum co= gnominatum, & semen bulborū, & cætera quæ nasci inter alia semina solent. Nam & auena magis in ordeo exire uidetur, & in lente aracus res scabra, & dura. In aphacis autem securina securi similis. Atq; in omnibus ferē inest, quod simul alatur 20 intermisceaturq; seu ratione telluris, quod non inepte putaueris, seu ob aliquā ali= am causam. Nonnulla etiam manifeste communia plurimū erumpunt. Sed quoniā plus inter aliqua ualeant, propria eorum putantur: exempli gratia, eruanga eruī, & lappa lentis: quod altera eruū potissimo uincat causa imbecillitatis, altera inter lentem maxime coalescat, quæ quidem eruangæ proxima est: etenim parī modo aggreditur, & herbam totam ueluti brachijs capessit: nec secus angit, atq; obstran= gulat. Quod autem statim ab radice cumino, & fœno græco subnascitur, & hæmo= dorum uocatur, unicaule constat, nec absimili caule surgit: uerum longe breuiori, & modo capitis superne quiddā gerente: radice autem subrotunda innititur. Nul= lum, fœnogræco excepto, inarescit solo tenui, nec ullo pacto pingui hæc prodeūt. 30 Ut in Eubœa apud Lelantum quidē nasci omnino nequeunt, apud autem Canethum, & si quis alius eiusmodi locus sit, nimirū queunt. Igitur ea tametsi communia plurimū exeant, tamen inter prædicta in firmitatis causa dominari facile possunt.

*De coctibili legumine, & incoctibili. Triticum bonam terram exposcere, ordeum uel in graciliore solo proficere. Cur stercorari terram à faba putetur: item de semine quam spelta nunc dici= mus: necnon de bromo, silagine, tipha, auena, lolio, sesama.* Cap. IX



Octibile autem dici quidem de leguminibus tantummodo solet. Ve= runtamen & in frumentaceis idem, aut proximum euenire nō absq; ratione putaueris. Sed quoniam usus non idem sit, non æque percipi 40 potest, neque in omnibus leguminibus ex æquo sentitur, sed præci= pue in faba, & lente: seu quod hæc maiorem in modum affici apta= sint, seu etiam, quod propter frequentiorem usum magis appareant: largius itaq; fieri solet. Sunt enim loca permulta, quæ semper coctibilia ferant, & alia quæ inco= ctibilia. Sed omni quasi ex parte loca tenuia coctibilia potius reddunt. Cœli quo= que conditio mutationem eiusmodi afferre nimirum potest: argumentum, quod eadem segetes aliás coctibilia, aliás incoctibilia reddant. Faba apud Philippo cum uentilatur, si ab afflatu incola perfletur, si coctibilis est, fit incoctibilis. Hæc igitur multifariam rem istam posse fieri monstrant, quandoquidem & segetum nonnullę

conterminæ inter se, situmq; similem obtinentes, nec ullam telluris differētiam for-  
tientes, non parimodo fructificant, sed hæc coctibilia, illa incoctibilia parit. Idq; agi-  
tur etiam sulco tantū nonnusquam segetes discernente. Frustrum potissimum terra  
triticum, tum ordeum: quamobrem triticum terram bonæ frugis exposcit, ordeum  
uel in gracili solo proficere satis potest. Cicer inter legumina maxime terra poti-  
tur, quanquam in ea minus temporis maneat. Faba (ut dictum est) cum aliā mole-  
sta minime est, tum etiam tellurem raritatis surae, ac putredinis causa stercoreare pu-  
tatur. Ob id qui circa Macedoniam atq; Thessaliam colunt, cum fabæ florent, arua  
inuertere consueuerunt. Inter ea quæ tritico, & ordeo similia constant *ceu semen*,  
tipham, siliginem, bromum, auenam, robustissimum, & maxime terram extenuas  
semen redditur: quippe cū radix ei multiplex atq; alta, culmusq; numerosus cōstet;  
sed fructus facilimus, omnibusq; animalibus gratissimus est. Inter reliquas bromus  
radice numerosiore consistit: is enim multis dispergitur culmis. Siligo prædictis mol-  
lior atq; infirmior est. Tipha omniū leuissima cōstat: nam & in simplici culmo assur-  
git, & solo proinde tenui contenta est: nec ut semen, pingue, & lœtum desiderat.  
Sunt illa duo, semen & tipha perquam similia tritico: auena uero, & bromus ueluti  
sylvestria quædam, & immittia constant. Auena quoque terram uehementer exte-  
nuat, & multiplici tum radice, tum calamo conditur. Lolium sylvestre penitus est.  
Omnium autē quæ æstiuis sementibus ager recipit, sesama terræ molestissima esse,  
plurimumq; posse extenuare putatur, utpote quæ multipliciori, crassiori q; cala-  
mo, & numerosiore constet radice, quam milium. Sed quæ terræ, quæq; hominirā  
tione cibi facilia sentiamus, differre inter se planè uidentur: quædam enim ē con-  
trario facilia ueniūt, ut legumen, ut milium: adde si quid pro usu hominū facilitatem  
ē diuerso, quam pro usu cæterorum animantium fortiri appareat.

*De uitis frugum, & bestiolis nocentibus: tum quæ fruges plurimum, & quæ minimum durent.*

*Item à rure rus, & cœlum à cœlo differre.*

*Caput X*

**S**eminum autem uitia quædam omnibus cōmunia ueniūt, ut rubigo:  
quædam propria dantur quibusdam, ut tabitudo radicis ciceri, & ur-  
carum infestatio: alijs etiam pulicum bestiolarum erosio, nonnulla  
etiam scabie, atq; falsagine pereunt, ut cuminum. Animalia uero si non  
in ijs ipsis gignantur, sed extrinsecus ueniant, non æque officiunt. Na-  
scitur enim in tritico cantharis, & in eruo phalangium, & in alijs alia genera. Rubi-  
gines (ut simplicius loquar) in frumentaceis magis, quam leguminibus: inter fru-  
mentacea ordeum magis, quam triticum sentit: & inter ordea aliud plus, aliud mi-  
nus, sed præcipue dixerim achilleis. Nec segetum situs, naturaq; parum refert: tra-  
itus enim excelsi, perflatiq; rubiginem nullam, aut minimam sentiunt. Concaui  
& flatibus nullis expositi contrà frequentissimam habent: gignitur hæc plenilunio.  
Maxime intereunt uel afflatibus triticum atq; ordeum, cum aut florentia perflan-  
tur, aut flore dimisso protinus infirma concutiuntur: sed ordeum magis ita perire  
certum est: saepè etiam concrassescunt. Si uehemētius, diutiusq; flatus inuaserunt,  
exiccantur, & penitus inarescunt, quod quidam euentari dixerunt. Sol quoque ex  
nube ambo ista interimit, sed triticum magis, quam ordeum: & ita ut quanquam  
spica exinanita sit, uisu tamen percipi minime possit. Triticū uel uermiculi enecant,  
alijs protinus nascens erodentes radicitus, alijs cum squallentes absolui nequeunt:  
tunc enim uermiculus culmum usque ad spicam erodit: dein alimento consumo,  
emoritur. Et si totum erosit, triticum ipsum omnino interit: si uero alteram tantum  
modo culmi partem, frugemq; fundendā eatenus uiolauit, id quidem spicæ pereat  
necessē est: reliquum autem incolume extat. Euenit hoc in tritico non omnibus lo-

**k**

cis, ut in Thessalia, sed paucis quibusdam, ut in Africa, & in Lelanto Eubœæ. Vermiculi uel in ciceris, & cicerculis ipsis dignuntur, cum secutis imbribus calor repentinus humorem incluserit, quemadmodum in ciceribus nasci uricæ solent. Qui autem alimenta sua consumferint, tam in herbis quam in fructibus pereunt, ut impes: & qui fabis, reliquisque innascuntur, ut de arboribus, & lignis retulimus: exceptis qui cerasæ uocantur. Igitur ad hæc omnia tractuum natura plurimum refert, nec temere: iam enim cœlum diuersum caliditate, aut frigiditate, aut humiditate, aut siccitate constet: hoc autem fructus reddere, consummareque potissimo patet. Quapropter quibus locis fieri solent, non semper fiunt. Seminibus autem non uis eadem ad germinandum, ac reseruandū utique datur. Quædam enim germinant, consummaturque celerrime, & reseruari egregie possunt, ut panicum, & milium: quædam germinant quidem, sed non celeriter, ceu faba, & præcipue quæ coctibiles. Pereunt celeriter aphaca, atque siliqua: ordeum celerius, quam triticum: & puluerulentum celerius, quam purgatum: & quod in horreis calce leuigatis conditum est, quam quod in non ita leuigatis. Corruptis itaque animalia propria dignuntur (ut dictum est) cicere excepto: id enim solum gignere animal nullū potest. Et putrescentibus quidem omnibus uermis consistit. Contusis autem sponte ut sit, singulatum proprium quiddam gignitur. Cicer, & eruum omnium maxime durat. Lupinum longe ipsis diuturnius est: sed hoc quodammodo pro sylvestri habetur. Differt etiam rus à rure, & cœlum à cœlo ad seminum corruptionem, conseruationem uero: itaque apud Appolloniam maris Ionij fabam nullo pacto corrodit aut, ideoque reseruandam reponi. Quin & circa Cizicum diu durare potest. Metere quoque tosta plurimum ad diuturnitatem sanè facit: sic enim humoris minus relinquitur. Metunt ueteriora legumina quidem, quo plus faciliusque legere possint: celeriter enim deflunt, & arefacta franguntur. Triticum uero, & quoddam ordei genus non penitus exiccati patiuntur, quod ad reddendam farinam, meliora minus arefacta putatur. Qua de causa in aceruos, tam triticum, quam ordeum componere assolēt: uidetur enim in aceruo crassescere potius, quam attenuari. Frumentū nequaquam corredi potest, cum admisso imbre prouenerit. Triticum in spica nondum messum durare maxime potest: atque etiam magis lupinum: nec enim id metunt priusquam imber incesserit: quoniam inter metendum exiliat, atque ita pereat semen.

Anniculum semen optimum ad sementem: deq; lupino, & auena.

Caput XI



D exortum autem, uniuersamque semente, semen anniculum optimum putatur: bimum deterius, & trimum: quod autem ultra accepis, sterile fermè est, quanquam ad usum cibarium idoneum constet. Omnibus enim ad generandum uita data est definita: licet ea quoque uiribus inter se differant, locorum scilicet causa, quibus condantur. Quamobrem Cappadociæ loco quodam Petra uocato, uel quadragenos annos fœcunda, & ad sementem percommoda durare proditum est: sexagenos autem & septuagenos ad usum cibarium seruari posse idonea. In totum enim corrupta ea nunquam referunt, quamuis uestem, reliquamque gazam, corrupti posse concedant: locum etenim istum cum aliâ excelsum, tum flatibus esse apertum: & auris ab exortu, occasu, meridieque æditum. Feruntque & in Media, reliquisque excelsis tractibus condita diu perdurare ualere. Sed cicer, lupinum, eruum, milium, & reliqua id genus longe diutius: quod etiam locis Græciæ fieri potest. Sed hæc locorum propria sunt, ut suprà iam diximus. Creditur & terram apud quosdam haberi, qua illitum triticum seruari unice potest: ut quæ apud Olynthum, & Eubœæ apud Cerinthum effoditur. Reddit hæc triticum deterius quidem ad usum cibarium, sed aspectu

aspectu crassius facit: sextarium ad modium illinire solitū est. Quodq; autē semen feruefactum perit, ac sterile redditur; quāquam sunt, qui ordeum, & triticum apud Babylonem resilire in area, modo eorum quæ friguntur, enarrēt. Sedenim caloris differētia quædā profectō intelligi debet: & communia quidē hæc quasi omnium, aut plurimorū appareant. Quædam uero ex ijs quæ sylvestria quasi putātur, proprietatem quandā tum in generatione tum in germinatione sortiri planè uidētur, ut lupinum, atq; auena. Lupinum enim licet robustissimū sit, tamen nisi protinus ab area terræ mandaueris, male proueniet, quemadmodum dictum est. Atq; in totum condī hoc legumen subter terram recusat: qua de causa ne subarantes quidem id serunt, & saepe si in materiem, aut herbam prædensam quampiam incidat, eam uisumma impellendo diducit, radiceq; terram contingit, & germinat. Solum arenosum & uitiosum potius poscit, atque in totum cultis prouenire non uult. Auena ē diuerso: cultis enim melius hæc erumpit. Et nonnusquam quæ prius germinis infœcūda esset, si diligenter colatur, germinat, copiosaq; redditur. In totum, solum hæc frugale desiderat. Peculiari uel illo à cæteris frumentaceis hæc discerni putatur, quod annis alternis utrumque semen aptum sit prouenire. Quamobrem qui eam delere penitus uolunt (deleri enim percontumax est) segetes annos duos laxant & satu: cumq; plene diffusa in herbam est, pecus saepe impellunt, usq; dum penitus depascatur. Idq; planissimum eius exitium fit, quod simul & alternata eius germinationem testatur.

HISTORIAE PLANTARVM LIBRI  
OCTAVI FINIS.

THEOPHRASTI DE HISTORIA  
PLANTARVM LIBER NONVS.

De humore & sapore plantarū: deq; gumma & lachryma: quodq; lachrymis & thus, & myrrha, & balsamum, & mastica annumerētur: tum de cardui, pineæ, equapij, laserpitij, uitis lachryma.

Caput I



V M O R plantæ, quem nonnulli succum nomine publico appellat, uires pro cuiuscq; plantæ ratione fortit. Sapor humorum alium magis, alium minus cōsequitur: nec omnibus inesse appareat, ita exilis, & dilutus quidam in plerisq; sentit. Humor igitur plurimus omnibus, cum germinare incipiunt: sed ualidissimus, maximeq; suam naturam ostendens, cum iam & à germinatione, & à fructificatione cessarunt. Accidit uero, ut uel proprium succi colorem plantæ nonnullæ sortiantur: alijs enim albus, ut la-  
ctuosis: alijs sanguineus, ut ceuteriæ, & spinæ, quam agrestem fusum appellant:  
alijs uiridis, alijs alius color: sed planius hoc in annuis, & annicaulibus, quam in arborum genere. Humor autem ipse quibusdam crassitudine tantum consistit, ut la-  
ctuosis: quibusdam etiam in lachrymæ modum dignit, ut abieti, píno, terebin-  
tho, larici, piceæ, amygdalæ, ceraso, pruno, iuniperò, ulmo, spinæ ægyptiæ: nam ea quoq; fert gummam, uerum non ex cortice, sed in uase. Adde illas, quæ thus, quæ myrrham præstant: lachrymis enim hæc quoq; annumerātur. Ad hæc balsamum,  
& chalbanum, & si quid aliud simile sit. Qualem etiam spinam Indicam reddunt, ex qua illud myrrhæ simile dignit. Consistit & in lentisco, & in spina ixina dicta la-  
chryma, quæ masticam reddit. Hæc autē omnia & ferē quæcunq; aliqua pinguedi-  
ne constent, odorata esse notantur; quæ contrā pinguedine carent, hæc sine odore